

(Pars. IX.) **(Ca. III.)**
 causas anni partibus in maleficis operibus statuerunt. Quia
 vero vita non minus nutritur esca quam aere nec minus ea indiget
 cur non similiter et omnem escam colendam et adorandam esse:
 non similiter posuerunt. Magis autem colendus et adorandus
 esset pulmo in nobis: cuius virtute aere sic utimur. Non enim
 se sponte aer ingerit: sed virtute pulmonis attractus. Amplius
 Per violentiam et motum suum naturalem illum attrahimus
 quare magis violentiam et ut ita dicamus rapinam: in nostra
 aspiratione et respiratione patitur: quam prestat beneficiam
 Aliena enim vi et violentia extrahitur ab aere: quicquid nobis
 in parte illa acquiritur: et non eius benefica voluntate. Eodem
 modo est disputare contra ydolatriam maris et terre: siue ipis
 corporibus impendat: siue spiritibus quos eisdem preesse autuma
 bant ad quam destructio hic et premissa sufficit et abundat.

(De ydolatRIA in ydolis.) **(Ca. III.) (A)**

Hinc ergo transibimus ad ydolatriam. Idolis igitur duobus
 modis impendebatur cultura: videlicet incensum propter
 se. Interdum propter ea quorum ydola erant. Qui enim
 dixerunt in xxxii. Exodi ad caput vituli aurei quod conflauerat
 Aaron: hi sunt dii tui israel: qui eduxerunt te de terra egypti:
 adorasse illum propter se ipsum videntur: cui liberatio suam ab
 egyptiaca seruitute attribuebant: quod fuit omnium deorum extrema.
B Siquis autem querat: quare potius vitulos: vel tunc vel
 postmodum adorauit: populus hebreorum: quam alterius forme
 vel figure ydola. Credunt aliqui: quia non intendebat Aaron
 conflare eis vitulum: sed de auro liquefacto et fuso: vitulum exiit
 casualiter: hoc est preter intentionem ipsius. Nonnulli credunt
 autem: quia pro eo exiit forma vituli: quod thauri signum erat
 et caput in caetu ascendebat: et hi sunt de opinione eorum qui
 omnes figuras animalium celestibus corporibus attribuunt.
 Aliis autem videtur: quod formam vituli conflare sibi petierunt ab
 Aaron: et hoc propter consuetudinem egyptie ydolatrie: vbi ado
 rabatur serapis qui in forma vituli consueuerat apparere egyptiis:
 et hoc sonat textus in xxxii. Exodi: vbi legitur: ita formauit ope
 fusorio: et fecit ex eis vitulum conflatilem: per quod verba fortuna
 et casus euidenter excluduntur. Aliis enim videtur: quod in vitulo
 illo conflatili colere intenderet thaurum celestem: id est signum
 de quo fecimus mentionem tanquam proprium signum suum: et a
 quo tota fortuna et infortunium eorum penderet. Opinati namque
 sunt aliqui ex astronomie professoribus: thaurum signum esse
 regni et legis hebreorum: et saturnum planetam eorum de quo